

officia Deo & proximo debita; sed quum subest animus
 1. probandi. 2. justè reprehendendi, qualis fuit simu-
 latio Nathanis, quum Davidi exprobraret adulterium,
 2. Sam. 12. 3. obstacula ad rem honestam amovendi.
 4. pericula imminèntia justè fugiendi. 5. hostes patriæ
 opprimendi, ut in strategematis. Et quis ignorat, in bel-
 lis simulationes & dissimulationes ut concessas, ita usi-
 tatissimas esse & laudatissimas, quum duces vident vio-
 lentiâ nihil effici posse, ad versutiam delabuntur, juxta
 illud tritum: *Quò non pertingit leonina, assuenda est vul-
 pina;* Et illud Virgilii:

Dolus an virtus, quis in hoste requirat?

Exemplum est in Abrahamo, Genes. 14. versu 15. in
 Gideone, Judic. 7. versu 15. & seqq. vide titulum de stra-
 tegematis. Deinde quaeritur, *An veritas semper & sine*
discrimine sit dicenda? Neg. Habenda enim est ratio
 circumstantiarum, loci, temporis & personarum. Vir
 bonus dicit verum, sed non nisi quibus, quando, quur,
 quantum & quomodo debet. Interdum enim verum
 taceri debet, ut in gravibus negotiis, ubi consilia non
 sunt patefacienda, quod intelligemus in capite sequente
 de Taciturnitate. Hic igitur teneatur præceptum Ethi-
 cum: *Occulta veritatem, mendacium autem ne dixeris.*
 Sic Christus jubet retineri miraculum suum, Marc. 7.
 vers. 36.

4. Veracitati opponitur Mendacitas, quâ ho-
 mo propensus est ad injustè suppressendum ve-
 rum.

SCHOLI. Græcè ψεῦδος. Cæterum in quacumq;
 partem quis à veracitate declinaverit, mendax dici me-
 ritur. Et hoc vitium non solum in sermonibus, verum
 etiam actionibus deprehenditur, quo modo etiam hypo-
 crisis mendacium appellari potest. Hypocritæ enim aliud
 sunt ab eo quod simulant, & sic candorem mentiuntur.
 Arist. lib. 4. Ethic. Nicom. cap. 13. ad mendacitatem re-
 fert ἀλαζονείαν ἢ εἰρωνείαν, id est, arrogantiam & dissi-

*questio
altera.*